

CLEMENS PP. VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Inter cætera cordis nostri desiderabilia id intensis exoptamus affectibus, vt controuersiarum, ac litium materia inter personas Ecclesiasticas è medio tollatur. Sanè nobis nuper innotuit, quod in Regnis Aragonum, Valentiæ, & Cataloniæ, ac tota demum Prouincia Aragoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, & præsertim in Ciuitate Oriolen. & Oppido Ciuitate nuncupato Alicante, ac loco de Castello della Plana prædicti Regni Valentiæ, nonnullæ lites, causæ, quæstiones, & controuersiæ inter prædictos Fratres, ex vna; & alios Mendicantes, siue Regulares, quoscunq; super Præcedentia, ac ritu incedendi in Actibus, & Processionibus, tam publicis, quàm priuatis, occasione, seu intuitu, quarundam litterarum fel. rec. Gregorij Papæ XIII. prædecessoris nostri,

in

in forma Breuis, ſub die xv. Iulij M. D. LXXXIII. Quæ incipiunt. Expoſcit, confectarum, partibus ex altera motæ ſunt, & moueri, ſeu oriri facile poſſunt. Nos conſiderantes, lites, cauſas, & controuerſias huiuſmodi, præſertim inter Religioſas perſonas, quæ, relictis Mundi vanitatibus, votum ſuum in humilitatis ſpiritu Domino Deo noſtro perſoluere profitentur, non modicam infundere labem, populoq; ſcandalum generare, ac in hac Vrbe noſtra omnium capite, & vnde in omnia regimen ſeruari conſueuit, eum ritum, & ordinem ſeruari, quòd in actibus, & proceſſionibus, tàm publicis, quàm priuatis poſt Canonicos, & Clericos ſeculares, & antiquos Ordines Monachales, Fratres Ordinis Prædicatorum huiuſmodi primum digniorem, & honorabiliorem locum obtinent, & cæteros alios Fratres Mendicantes, ſiue alios quoſcumq; Regulares præcedunt, atq; de antiquitate, & præeminentia, cuiuslibet Ordinis Fratrum Mendicantium, & aliorum Regularium quorumcumq; plenam, & indubitatam notitiam habentes, ac eorum honoris, & iurium conſeruationem, ac pacem, & quietem inter eos confouere, & ſcandala huiuſmodi remouere, paterno affectu cupientes, ac ſtatum, litium, & merita cauſarum huiuſmodi, nominaq;, & cognomina Iudicum, & collitigantium, & eorum iura, & prætenſiones, necnon tenorem litterarum dicti Gregorij prædeceſſoris, perinde, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes. De Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſuper ſtatu Regularium Deputatorum conſilio, & nobis attributæ poteſtatis plenitudine, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, lites, & cauſas, quaſcumq; tàm motas, quàm mouendas, ſeu quæſtionum, & controuerſiarum materias omnes in quibuſcumq; inſtantijs coram quibuſcumq; Iudicibus indeciſas pendentes ad nos harum ſerie aduocamus, & penitus extinguimus, & alijs Mendicantibus, ſiue quibuſcumq; alijs Regularibus, ſuper his perpetuum ſilentium imponimus: ac volumus, & decernimus in prædictis Regnis Aragonum, Valentiæ, & Cataloniæ, & tota demum Prouincia Aragoniæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum; & præſertim in Ciuitate Oriolen. & Oppido Ciuitate nuncupato Alicante, & loco de Caſtello della Plana huiuſmodi eum ritum, & ordinem inter Fratres Sancti Dominici prædictos, ac alios Mendicantes, ſiue alios Regulares quoſcumque, cuiuſuis Ordinis, vel Religionis exiſtentes ſeruari debere, qui in hac Vrbe noſtra omnium capite ſeruatur. Videlicet, quòd in omnibus actibus, & proceſſionibus, tàm publicis, quàm priuatis poſt Canonicos, & Clericos ſeculares, & antiquos Ordines Monachales, ſi qui inceſſerint, dicti Fratres Ordinis Prædicatorum primum digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ita vt dicti Fratres Sancti Dominici, immediatè poſt modo dictos ſubſequantur, poſt quos omnes alij Regulares, tàm Mendicantes, quàm non Mendicantes cuiuſcūq; Ordinis, vel Religionis exiſtant, incedent, & ſubſequentur, etiamſi Eccleſiæ, Capellæ, Conuentus, Domus, & loca Regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis, primo inſtituta, & fundata non fuerint, prout nos id de facto obſeruari volumus, & præcipimus; Diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ eo ipſo per contrafacientes incurrendæ pœna, omnibus, & ſingulis, quorumcumq; aliorum Ordinum, pro tempore Religioſis, ſiue Regularibus, inhibentes, ne de cætero præmiſſorum occaſione Ordinem Fratrum Prædicatorum huiuſmodi illiuſq; Fratres pro tempore exiſtentes, moleſtare, inquie-

quietare, perturbare, aut quoquo modo impedire audeant, vel præsumant: Sicq; per quoscumq; Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, ac definiri debere: necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Vniuersis, & singulis Veneralibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, & alijs personis quibuscumq; in dignitate Ecclesiastica constitutis. Per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet per se, vel alium, seu alios, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Prædicatorum fuerint requisiti, eis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præmissa omnia obseruari, iuxta præsentium continentiam, & tenorem, contradictores quoslibet, ac rebelles, & præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus litteris dicti Gregorij prædecessoris, alijsq; præmissis, necnon quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Conuentuum, Domorum, locorum, & Ordinum Mendicantium, siue aliorum, quorumcumq; Regularium huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis Mendicantibus Fratribus, siue alijs Regularibus quibuscumque, & illorum Superioribus, per quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam Bulla aurea, Mare magnum, nuncupata contentis, ac Motu simili Consistorialiter, etiam per modum legis, & statuti perpetuum, etiam iteratis vicibus, cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis pro tempore in contrarium forsan reuocantibus, etiamsi in eis caueatur expressè, quòd nisi per trinas distinctas litteras, cum temporis interuallo competenti ternis distinctis vicibus illis, quos concernunt, intimandos derogatum esset, aut cēseatur, concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de eis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse latissimè derogamus, contrarijs quibuscūq;, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die xxv. Septembris 1592. Pontificatus Nostri Anno Primo.

M. Vestrius Barbianus.

ROMAE, Apud Paulum Bladum Impressorem Cameralem. 1592.